

**05**

**A**


**2104**











PHYSIOLOGICARVM  
DISSERTATIONVM  
SECUNDA

De  
Membris Nutritioni & Genera-  
tioni inservientibus

Quam

Divino auspicio

Sub praesidio

M. AMBROSII RHODI  
Kembergensis

Collegis suis


Examinandam proponit

MICHAEL GICHTL

Ratisponensis

Ad diem 15. Februar.


Hora & loco consuetis.



WITEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi

M. D. C. VI.





*Lobilissimo, amplissimo ac prudentissimo viro*

**Dn. IONÆ PAVLO  
VVOLFIO**

*Imperialis & libera Ratisponensium Civitatis Con-  
suli dignissimo.*

*Clarissimo & excellentissimo*

**Dn. JOHANNI OBERNDORFERO,**  
*Philosophiae & utriusq; Medicinae Doctori Solertissimo & Illu-  
striss. Principis Philippi Ludovici Palatini &c. Medico & Con-  
siliario peritissimo.*

*Reverendo Humanissimo simul ac doctissimo*

**Dn. M. CHRISTOPHORO DONAVERO,**  
*Ecclesiae Patriae Diacono vigilantissimo nec non  
Poetae Laureato clarissimo.*

*Prudentia & multarum rerum ornatissimo*

**Dn. MICHAELI MAYERO,**  
*edilis curiae ibidem Assessori laudatissimo.*

*Humanissimo, & Doctissimo*

**Dn. M. AEGIDIO WEICHSELBERGERO,**  
*Gymnasij Ratisponensis Conrectori fidelissimo.*

*Dominis Mecenatibus, Promotoribus, Fautoribus susceptori  
ac Praeceptoris suo summa observantia suspiciendis & colendis  
hasce positiones gratitudinis ac pietatis ergo  
offert & dicat*

*Michael Gichtl, Respondens.*





Σὺν Ἰεῦ πνεύματι

# DISPUTATIO

De

# PARTIBUS NU- TRITIONI ET GENE- RATIONI INSERVI- entibus.

## THESIS I.



*S*apienter hominem μικρόκοσμον à ve-  
teribus appellatum esse precedente disputatione  
dictum est, cum in se omnia contineat, quæ uni-  
versus hic Mundus amplissimo suo sinu coerceat  
ac cohibet: propterea etiam omnia noverit, qui  
se ipsum nôrit, cum in se rerum omnium habeat  
simulachra. Ad hanc autem sui cognitionem, quæ difficilima & ope-  
rosissima est, nulla re facilius, quam Anatomæ studio perveniri ha-  
bemus persuasissimum.

## II.

Cumq; superius partes similes omnes cognoverimus; ad dis-  
similarium cognitionem jam nos accingemus; & quidem earum  
duntaxat, quæ in simo ventre conclusæ & nutritioni & generationi  
sunt dicatæ.

## III.

Ventriculus igitur, utpote primarium nutritionis membrum.

A 2

20579



el *σπλῆν* dictus, est cavitās, quā  
it & prima coctiois officina.

I V.

Ventriculi substantia membranacea est, duabus propriis tunicis,  
& tertia communi venarum & arteriarum surculis variis atq;  
nervis amplissimis contexta, quarum interior propria nervosa est,  
esophago, lingua, palato & ori communis. Vesalius lib. 5. cap. 3.  
Columbus lib. 11. c. 4.

V.

Propria haec tunica triplici contexta est villorum genere Rectis,  
qui attrahendi (quamvis usum hunc negare, & Vesalium atq; Gale-  
num eundem asserentes erroris insimulare non dubitet Realdus  
d.l.) Obliquis, qui retinendi, & Transversis, qui expellendi vim ha-  
bent.

V I.

Tunica hujus interioris superficies crusta quadam obducitur ab  
excrementis tertia coctiois profecta, cujus triplicem usum statu-  
unt: I. Ne callosior evaderet interior tunica. II. Ne venarum  
oscula excacarentur: & deniq; ut ad moderatam cibi retentionem  
aliquid conferret.

V I I.

Exterior membrana propria crassior & mollior carnis magis  
naturam referens, minus firma solida & compacta, quam interior;  
transversis fibris quam plurimis, ut, postquam cibus & potus confe-  
ctus & elaboratus fuerit, extra propellatur, obliquis paucis admo-  
dum constans.

V I I I.

Communis membrana est, quae proprias has tunicas extrinse-  
cus obducit, à peritoneo ortum trahens, omnium crassissima. Invol-  
vit ventriculum usq; ad duodenum intestinum, & plures venas  
sanguinem ad ventriculi nutritionem deferentes, tenuioremq; cre-  
moris portionem ad jecoris cava transportantes; arterias item atq;

nervos



nervos in regione insignes ad ventriculum  
nentes ex c. 3.

I X.

Hactenus de similaribus ventriculi partibus egimus, sequuntur nunc dissimilares, quarum duo sunt orificia, & fundus.

X.

Orificium superius καὶ ἐξοχήν ob amplitudinem Stomachus dicitur, veteres Medici usitatus καρδία appellarunt, ob exquisitissimum & acerrimum sensum, ac symptomata quae invehit cardiaca: Hippocrates illud στήθος vocat, quod sub pectore & cartilagine ζυφοῦδα contineatur.

X I.

Statuunt Autores fere omnes, orificium hoc superius famis & appetentia animalis causam, dicentes, majorem appetentiam eos habere, quibus vena ad orificium hoc ascendens major sit, & contra Gal. lib. 2. de temper. c. 5. cum supra modum exinanita ventriculi capacitate, ejus latera collapsa in sese concidunt, convelluntque graviter vicina sibi praecordia: & quum interiores recessus & quasi ruga proprio humore exhausto inaruerunt Fernel. lib. 6. Physiol. cap. 1.

X I I.

Maximam autem habet hoc orificium συμπάθεια cum corde καὶ τὴν γαστέρα ob viciniam, & Cerebro καὶ τὴν κοινωσία propter nervos stomachicos insignes. Idem ibidem c. 7.

X I I I.

Inferius orificium πύλωος, Latinis janitor, quod prolabantia è ventriculo alimenta tanquam ostiarius quidam cohibeat.

X I V.

Bina haec, quae nunc descripsimus ventriculi orificia, ne cibus vel incoctus elaboretur, vel recederet, crassiora facta sunt: ac superius quidem arctius Natura condidit; quia dura nec planè contrita famelici plerumque demittimus: at è ventriculo nihil excidit, ni-



per  
ne  
itur, quod non exquisitè (quidem id potuit) perfractum  
omminutum. Vesal. Fernel. d. l.

XV.

Duo etiam glandulosa tubercula πυλωρῶ intus assistunt velut  
annulum constituentia; quæ, dum sese applicant, exitum claudunt:  
referant verò, dum laxata se abducunt atq; divellunt, non quidem  
imperio voluntatis, sed natura duntaxat impulsione.

XVI.

Tertia superest ventriculi pars in medio fere epigastrii sita, in  
sinistrum tamen potius, quam in dextrum inclinans latus, fundus  
nimirum ventriculi, ciborum promptuarium & alimentorum vas-  
culum.

XVII.

Hic Medici fere omnes sedem statuunt coctionis primæ: non  
enim in orificio, sed in fundo perficitur χύλωσις, idq; tum ingenta  
proprietas, formaq; specifica, tum insito ventriculi & vicinarum  
partium calore, Fernelius lib. 6. Physiol. c. 1.

XVIII.

Vbi sanè nobilissima sese discutienda offert quaestio, de qua in-  
ter Authores non satis constat, an videlicet ventriculus chylo, an  
verò sanguine nutriatur? Nos cum Fernelio, Laurentio lib. 1. q. 28.  
& Columbo lib. 11. c. 4. eum sanguine nutriri asserimus, & pasto-  
nem illam, uti Fernelius loquitur, quam ex chylo capessit veram nu-  
tritionem non appellamus, sed ex qualitatis cognatione & conveni-  
entia oblectationem quandam & satietatem nutritionis emulam.  
Ibidem.

XIX.

Pro assertione hac unica hac militet ratio: Omnes membranosa  
partes sanguine nutriuntur, & non chylo. Cur non ergo & ventri-  
culus? Hinc est, quod inquit Galenus lib. de atra bile: in sanis  
sæpe per longiora jejunia sanguis optimus ad ventriculum nutriendi

ejus



ejus gratia deferatur. Dissentiu tamen hic Vallesius in contro-  
suis, Vesalius, & Thomas Veiga Medici sanè celeberrimi. Ratio-  
nes plures qui desiderat, consulat Fernel: Laurent: d. l. Fuchsium  
lib. 1. instit. sect: 4. c. 4. item lib. 1. sect. 7. c. 5.

XX.

Ventriculo adnatus est œsophagus, sic dictus ab *ὄω* fero & *φα-  
γμῶ* cibus, quod cibum ad ventriculum deferat. Est enim canalis,  
per quem cibus & potus in ventriculum descendit oblongus, pro-  
pter faucium à ventriculo distantiam.

XXI.

Non inscitè autem hic queri potest, an masticatio illa, ante-  
quam cibus ad ventriculum deferatur, concoctio sit, nec ne? Nos  
negativam tenemus; quia excrementa hic separantur nulla: At  
concoctio sine excrementorum excretionem & separationem est  
nulla.

XXII.

Omentum, *Ἰπιπλόον*, quia *Ἰπιπλόει*, membrana est nullis fibris  
implicata, simplex, sed multis venis, arterijs & nervis abun-  
dans.

XXIII.

Constructum autem videtur densum, ut nativum calorem  
intus concluderet, & coarctaret: leve, ne interanea comprimeret:  
calidum, ut ventriculi coctionem adjuvaret, unde venis quam plu-  
rimis adipe q̄ copioso est circumfusum.

XXIV.

Sequuntur nunc Intestina, *ἐν τῷ ἔσω καὶ ἐν τῷ ἔσω* *πᾶσι τὸ ἐν τῷ ἔσω*  
quasi intus in ima ventris parte sita, quæ sunt corpora oblonga, ro-  
tunda & concava ab imo ventriculo ad anum & extremum podi-  
cem usq; protensa, coquendis & alterandis aliquantulum cibus, di-  
stribuendo in jecur chylo, exportandis, expurgandis q̄ facibus à  
Natura instituta.

An



Anfractuosa autem Natura ea condidit, ut cibus in illis diutius moraretur, neq; nostris negotiis, si recta sita essent, impedimento forent, gula & insaturabili abdomini nos subjugarent, & ne sordido deijciendi crebrius ministerio indigna hominis dignitate servituti nos manciparent. In tanta ergo via longitudine vix ulla potest alimenti portio foras elabi, quae non antè cuiusdam sugentium venarum ori se applicuerit, ut inde, quicquid utile est, & alendo corpori idoneum, rapiatur in jecur. Fernel. lib. 1. Phys. c. 7.

## XXVI.

Substantia eorum membranacea est, duabus propriis tunicis, & tertia communi venarum & arteriarum surculis penè infinitis à vena Porta subministratis, nec non nervulis à sexto pari ad illa delatis, docto Natura artificio contexta.

## XXVII.

Membranae autem à Natura facta sunt, ut dum flatu, chylo & facibus sunt turgidula distendi sine divulsione facile possint.

## XXVIII.

Intestinatorum sex numerantur, quorum superiora tria gracilia, duodenum nimirum, jejunum & ileos: inferiora verò crassa, puta caecum, colon & rectum, appellantur.

## XXIX.

Gracilium intestinorum primum ab ima ventriculi parte enascitur omnium arctissimū, ne nimis citò transeat chylus, & δωδεκάκτυλον duodenum, quasi 12. digitos longum, dicitur, nullis intortum anfractibus recta sub jecur & venam Porta se recondit.

## XXX.

Excipit autem intestinum hoc χολαγωγόν, id est, ductum illum, qui in intestina flavam bilem vehit. Haec flavabilis in gracilioribus intestinis non statim miscetur chylo, sed sensim per intestinorum latera defluit, donec perveniat ad colon, ubi miscetur cum excrementis, & ea suo colore pingit & tingit.

Jejunum



## XXXI.

Iejunum nunc proximum est, sic dictum, quod in dissectione non vacuum planè, sed reliquis inanius appareat: nulla enim cunctatione extrudit, quacumq; accepit, & ob Epatis celerius cremorem sugentis viciniam; & majorem venarum promptius chylum exhaurientium copiam, & deniq; bilis acrimoniam.

## XXXII.

Postremum ex tenuibus ileon est, λεπτόν absolutè dictum, quod omnium sit longissimum: ειλέον & ειλύμα vocant Græci, quod pluribus orbibus & anfractibus involutum sit, unde etiam Latinis convolvulus vocatur: hoc subter umbilicum ad ilia & coxas utring; positum est.

## XXXIII.

Hactenus de gracilibus. Sequuntur nunc crassa tria, sic dicta, quod crassiores habeant tunicas & crassiorem chyli partem contineant. Horum autem primum est Cæcum, τοφλόν, monoculus, & saccus, quod sit velut venter quidam crassus uno tantum ductu & foramine pervius, ad cuius extremum cernere licet appendicem longiusculam, in qua aliquandiu retinentur, ne nimium properent ad exitum.

## XXXIV.

Hoc proximè excipit Colon omnium amplissimum, quod à verbo κολάεσθαι, id est, torquendo, ob tormina & diros cruciatus, dictum putatur: Galeno simpliciter έντερον; per jecoris cava primum obrepit, ubi folliculum bilis attingens, illi q; nonnunquam annexum amarorem, coloremq; luteum contraxit, inde paulum exurgens ventriculi fundo substernitur, non ventriculo innatat, uti pravè Mundinus sentit: hinc ad sinistrum hypochondrium contendens lieni accumbit: mox in posteriora demergitur; coheretq; reni sinistro, à quo demum laxius apud costam sinistram eminet.

## XXXV.

Postremum intestinum Rectum vocant, quod nullis sit intor-



gyris, sed rectè à ab osse sacro ac podicem usq; protrudatur.

XXXVI.

Controversiæ hinc sese offerunt plurimæ, an nimirum intestina attractrice, retentrice, concoctrice & expultrice facultate polleant; quæ fætoris fæcum causæ; quæ item intestinorum substantia; de quibus omnibus quid statuendum sit prolixè disputat Laurentius.

XXXVII.

Intestinorum omnium communis est per Mesenterium, quod & mesogastrium dicitur, copulatio. Est autem mesenterium corpus membranosum intestina colligans duabus tunicis, venis & arterijs innumeris, adipeq; copioso, & adenibus contextum: atq; secundum Columbum nihil aliud est mesenterium, quàm peritoneum duplex.

XXXVIII.

Membrana autem oriuntur à ligamentis, quæ lumborum vertebrae connectunt, & os sacrum ilium ossibus committunt: quæ membrana gemina constructa sunt, tum ad vasorum robur; tum ne intestina in motibus violentis implicarentur. Vena, quæ mesenterium complectitur, omnes à Porta ramo propagantur: intexuntur his & arteria complures ab Aortæ trunco, qui lumbis accubat, ad intestina diffusa. Nervi à sexta Cerebri scaturiunt conjugatione.

XXXIX.

Media inter vasa nervosq; spatia adeps occupat atq; implet, in quem adenes, id est, glandulae insistent quamplurimæ, tum ad vasorum diremptus, tum ut impediunt, ne vasorum ductus comprimantur, tum ut intestina madore suo proluant. Realdus tamen ob divisionem vasorum, & ne ventriculus spine contactu lederetur, productas esse statuit.

Supra



## XL.

Supra mesariorum proxijs lumborum vertebris insidet caro Pancreas appellata, plurimds scaturit glandulis, quibus & sua mole venarum, arteriarum, nervorumq; tenues illic ramos sustentet & fulciat. Glandulosum hoc corpus in homine magis album, quam rubrum; in Canibus vero rubet.

## XLI.

Corpus hoc venae portae ramos in ventriculum, duodenum & lienem distribuendos amplexu sustinet ac comprehendit, ut illorum divaricatio inferiori saltem epiploei membrana suffulta reddatur securior & ventriculo instar pulvinaris molliusculi subijciatur.

## XLII.

Absolutis partibus omnibus, quae ad concoctionem primam pertinere videbantur, ad secunda secunda concoctionis, quae αἱματώσις dicitur, membra descendemus; in quibus familiam ducere Epar extra omnem controversiam aleam positum est.

## XLIII.

Est autem Epar τὸν φλεβῶν πρῶτα, id est, venarum principium, Hippocrati lib: de alim: αἱματώσεως officina, ἡσώρομ & sanguinis, naturalis spiritus architectus. Caro propriam visceris substantiam complet, & ea ratione carnosum viscus Hippocrati dicitur.

## XLIV.

Est autem caro hac similis sanguini concreto, & velut ardore tosto: Erasistratus primus ἀσέγχωμα, id est, affusionem appellavit. Usus ejus varium Autores agnoverunt; nos principalem saltem considerabimus, qui est, ut propria & insita vi sanguini formam, temperiem, ruborem indat: ita principem & diviniorem Epatis partem primò & per se αἱμοποιητικὴν astruimus.

## XLV.

Ideoq; & Aristoteli, qui Cordi vim hanc defert. 2. & 3. de part: animal: & 3. de historia animal: & Vesalio, qui lib: 3. cap: 1. & 5.



... qui decad. 1. parad. 4. venviscus appellant. Hippocrati  
aut, hic assentiri non possumus. Quod lat. ... satis refut. Lau-  
rentius lib. 4. q. 7.

XLVI.

Situm est Epar in dextro hypochondrio sub diaphragmate  
& costis notis, & saepe ab Hippocrate hypochondrium vocatur: si-  
tum hunc obtinuit à Natura tutissimum, quippe costis quasi sepi-  
mentis obvallatum.

XLVII.

Non autem hominis Epar in lobos seu fissuras quasdam, uti  
Hippocr. epidem. 6. in quinq., Galenus 4. de usu part. in quatuor  
distinxerunt, sed regulariter sub medio fissura unica constat, uti re-  
ctè contra Galenum affirmat Reald. lib. 6. cap. 1.

XLVIII.

Magnum autem à Natura hominibus datum est Epar, pre-  
sertim Heluonibus abdominiq. suo natis, ac timidis; ut etiam in  
timidioribus apparet animalibus. Constat autem Epar pluribus  
particulis, carne propria, venarum cavæ, portæ & umbilicalis ra-  
dicibus, arteriolis, nervulis, ac deniq. tunica prætenui totum cor-  
pus investiente.

XLIX.

Hactenus de Epate. Huic inserviunt tres aliæ partes, quæ ex-  
crementa, & supervacua ex Epatis *αἵματός* recipiunt: Melan-  
cholicus succus primum excrementum gravius ac terrenum magis  
à Liene suscipitur: levius ac magis ærcum excrementum, bilcm ni-  
mirū, vesicula fellis: ac deniq. serosum ac aquosum Renes recipiunt.

L.

Bilis autem feritate & acrimoniâ sua magis proritans prima  
omnium expurgatur, ejusq. receptaculum Epati ita est vicinum,  
ut ex ejus dextra resimaq. parte propendeat. Vocatur autem hoc re-  
ceptaculum *κύστις χοληδόχου*, bilis vesicula, folliculus felleus.

Substantia



## L I.

substantia hu-  
 anea est, & nervea, ut contrahi di-  
 latariq; facile possit; unicam habens tunicam, sed validam triplici  
 fibrarum genere distinctam: intus rectas habet, quibus bilem in se  
 allicit; & obliquas, quibus retinet: foris autem transversas & or-  
 biculares, quibus eandem expellit in  $\epsilon\kappa\phi\upsilon\sigma\iota\nu$ . Nutriri hanc qui-  
 dam volunt bile; sed refutantur à Laurentio lib. 6. q. 23. quem con-  
 sule.

## L II.

Sunt autem meatuum sive pororum aut ductuum tres: pri-  
 mus in Epar inter vena Porta & cava radices numerosis surculis  
 distributus est, quibus bilem in se allicit puram, neq; alio humore  
 adulteratam; cui tamen opinioni verè Fallopius aliam improbabi-  
 liorem substituere conatus est. Secundus ductus  $\chi\omicron\lambda\eta\delta\omicron\chi$  ad  
 duodenum fertur, quo vesicula mutua humoris cognatione & fami-  
 liaritate aliquantulum oblectata, cum ad intestina detrudit, ut tar-  
 da ad excretionem stimulet. Tertius interdum reperitur, qui ad  
 ventriculi fundum protenditur: Vesalius hunc se semel observasse  
 affirmat lib. 5. cap. 8. quem tamen præter naturam esse cum Colum-  
 bo lib. 11. cap. 8. statuere videtur Laurentius lib. 1. cap. 17.

## L III.

Secundi Epatis excrementi receptaculum est Lien, diciturq;  
 viscus excipiendo excremento Melancholico ad depurandum ab eo  
 sanguinem destinatum. Situs est Lien in hypochondrio sinistro ex  
 adverso jecoris, parte sui sima & concava ad Epar & ventriculum  
 vertitur: gibba verò ad costarum spuriarum extrema.

## L IV.

Figura hujus visceris pro ratione partium, quibus accumbit,  
 varia est. Nam quâ diaphragmatis attingit cavitatem leviter gib-  
 bus cernitur Lien: quâ ventriculo gibbo innititur modicè cavus oc-  
 currit: huic tamen figuram omnes oblongam & propemodum te-  
 tragonam lingua bubula speciem referentem assignant. Fernel. lib. 1.



.c. 7. unde etiam linguosum  
lib. de corp. resect. planta pedis assim.

ates

L V.

Lienis magnitudo non omnibus una: magnitudo tamen semper parvitate deterior est: & quibus corpus floret, Lien parvus est, & minuitur; quibus contra Lien augetur, corpus minuitur, ut non inepte Lienem Trajanus Imperator fiscum nominavit.

LVI.

Constat autem Lienis corpus totum carne sibi propria, quae velut  $\omega\alpha\pi\epsilon\gamma\chi\upsilon\mu\alpha$   $\omega\sigma\upsilon\gamma\omega\delta\delta\epsilon\varsigma$ , id est, rarum, spongiosum, & solutum instar solidioris spongiae, hauriendis excipiendisq; faecibus accommodum, venis & arteriis ut & nervulis atq; tunricula totum corpus investiente: quod rectissime contra Galenum, Lienem venis munitum & constructum esse negantem, probat Realdus lib. 11. c. 7.

LVII.

Controversia autem inter Autores non levis est de Lienis usu; quidam enim illum plane tollunt, ut Erasistratus & Aristoteles: quidam vero officinam spiritus vitalis illi adscribunt, ut Pictaviensis Medicus Vlmus: quos singulos quomodo refutet, & verum ejus usum, faculenti nimirum sanguinis expurgationem asserat Laurentius, videatur lib. 1. q. 36.

LVIII.

Serosum humorem excipientium membrorum tria constituit Natura; quorum quaedam serum trahunt impurum & sanguine multo permixtum ac adulteratum, cujusmodi sunt Renes; quaedam purum & secretum deducunt, ut Vreteres; quaedam deniq; excipiunt, & ad tempus continentia excernunt, ut Vesica.

LIX.

Sunt autem Renes (Gracis νεφει dicti, aut νεφει quod est ningere, & plucere, aut νεφει, à defluxu humoris) viscera carnea, dura, solida, ad attrahendum excrementum serosum destinata.

Gemi-



## LX.

Geminos quidem Natura produxit, ne, (ut Fernelius habet lib: 1. Phys: c. 7.) obturato aut praepedito uno serosi humoris cessaret profusio: quamvis Laurentius saepius unum, eumque non exiguum, (quod etiam Fernelio observatum) & quatuor semel observavit.

## LXI.

Positi sunt paulo infra jecur, ut celerius humorem sanguine mistum exugant: incubant autem lumborum musculus, quos ὑόας vocant: ad latera venae cavae utrinque siti sunt, ne sanguinis ad inferiora cursus interciperetur. Dexter sinistro ferè altior esse Galeno & Fernelio videtur; sed Laurentius saepe se contrarium, sinistram videlicet dextro elatiorem observasse scribit, cui opinioni omnes ferè subscribunt Anatomici, quod etiam ex lib. 11. c. 9. Realdi videre est.

## LXII.

Factum autem hoc esse triplici de causa scribitur, ne alter alterius tractui moram afferret: ne serum esset ἰσὸρρομον; & denique, ut, si feri quaedam portio quasi effrenata praterflueret, ea in alterius foveam incideret.

## LXIII.

Figuram Renum quod attinet referunt faseoli vulgò dicti speciem; vel, ut quibusdam placet, semiluna: quae enim venam cavam spectant, sinuati & concavi, extrinsecus ad ilia gibbera oblongi & quasi in retusa linea speciem sunt curvati.

## LXIV.

Sinus Renum duos Vesalius; Fallopius contra unicum tantum agnoscit: primus ab arteriarum & venarum extremis sanguinem serosum excipit, serumque sanguini permistum secernit: propria hic sinus membranâ succinctus est, quae proprie urina percolanda incerniculum à Fernelio dicitur; quam tamen cavitatem Columbus lib. 11. c. 9. planè rejicit. Alter verò sinus insignior serum jam depuratum suscipit. Hic miro artificio, ut Fallopius auctor, fabrefactus est, cujus descriptionem vide apud eundem.

Renum



## LXV.

Renum usus supra etiam assignatus, (quamvis Erasistratus & Asclepiades, ut apud Galen. lib. 1. de natural. facult. videre est, nullum planè Renibus usum ascribunt) est, ut postquam sanguinem ad sui nutrimentum ad se attraxere ipsiq; saturati sunt, serum purum jam redditum, ad meatus urinarios deducant, qui humorem illum postmodum in vesicam deferant. Usus reliquos praterimus.

## LXVI.

Vasa purum serum vehentia Vreteres ab officio dicta, sunt duo vasa oblonga, concava & alba arteriarum instar, nervea admodum, à renum sima parte orta, & ad vesicam usq; progredientia. Protensa autem in coxarum regiones, à Renibus in vesica latera coeunt, membranam findentia in eam media sese insinuant; ne si directus pateret ingressus, qui in vesica capacitatem inciderat humor, retrò pelli reperi q; facile magno mortalium incommodo posset. Fernel. d. l.

## LXVII.

Continens & excernens urinæ vasculum Vesica  $\kappa\upsilon\sigma\iota\varsigma$   $\xi\epsilon\omicron\delta\omicron\chi$  dicitur, & est urinæ receptaculum, matula corporis aliàs dicta, velut laguncula quaedam, in qua urina ex Renibus per Vreteres destillans coacervatur & aliquandiu asservatur, donec copia aut acrimonia irritata eandem eijciat.

## LXVIII.

Globosa autem illa à Natura facta est, quo humoris fieret capaciore, recto intestino in hypogastrio in Viris annexa affixa q; in Mulieribus verò sub os pectinis in coxarum antrum dejecta posita est.

## LXIX.

Est autem ejus substantia nervea, ut ad copiam urine majorem minoremve dilatari & constringi queat, triplici staminum genere contexta, rectis, transversis atq; obliquis, attrahenda, continenda & expellenda urine gratia: tunica duplici tegitur, communi una à peritonæo exorta, quæ vesicam intestino & coxarum ossi annectit: propria altera, crassa & dura admodum, ne urine copia,

acrimonia,



acrimonia, & calculorum asperitate divelleretur. Venis item e-  
terijs utringq; in vesica latera à ramis cava & Aorta sparsis, nervi  
item duobus, uno à sexto pari, altero à spinali medulla profectis  
constat.

LXX.

Conspicuus etiam est canalis vietus jam totus & emeritus  
& ex hoc dictus è fundi tumentiore parte in Umbilicum surrectus,  
quo olim dum utero gestaretur Infans, nedum pudendo mejeret, u-  
rina in allantoidem effundebatur: Infante verò in lucem edito huic  
muneri amplius non deservit, sed cum Umbilico connexus vesicam  
sustinet.

LXXI.

Ne autem urina extra vesicam nobis in vitis prolaberetur,  
cervicem illius, unde exire debet, ambit musculus orbicularis, quem  
σφιγκτηρ vocant, qui in se ipsum secundum naturam adeò contra-  
hitur, ut non nisi per voluntariam & validam musculorum abdo-  
minis compressionem exire valeat. Atq; hac de partibus Nutritioni  
inservientibus dicta sufficiant. Reliquum est, ut brevibus conside-  
remus Naturæ artificium in organis Generationi destinatis.

LXXII.

Sunt autem vasorum Generationi dicatorum varia: quaedam  
enim preparant semen; quaedam illud excoquunt: alia excoctum  
deferunt; alia excipiunt, continent, & asservant ad usus necessari-  
os: alia deniq; semen in Matricis loculos effundunt. Nos de singulis  
ordine.

LXXIII.

Vasa autem semen preparantia, αγγεία σπέρματινὰ καὶ σπέρ-  
μασινὰ dicta, quatuor sunt, tam in Mare, quam in Femella: dua  
videlicet vena, totidemq; arteria.

LXXIII.

Venarū dextra immediatè à trunco vena cava, altera verò sini-  
stra ab emulgente oritur & descendit: illius sanguis purior & probe

C

perco-



tus: hujus verò aquosior, & sero multo dilutus: unde ratio-  
m diversi sexus peti posse cum Laurentio lib. 2. c. 2. Valleriola  
lib. 5. enarrat: 4. statuimus.

LXXV.

Quare autem vena sinistra ab emulgente non à trunca oria-  
tur, inter Authores non satis convenit: quidam ajunt ob necessita-  
tem hoc factum esse, ut falsus humor (sic enim à Columbo vocatur)  
in testes descenderet, cujus titillatione in coitu tantopere commo-  
verentur homines: sed hanc rationem ut vanissimam rectè & me-  
ritò explodunt Columbus & Laurentius, aliam & veriore affe-  
rentes causam; ne videlicet ob situm arteria magna ejus perpetuò  
diastoles & systoles motu agitata disrumperetur.

LXXVI.

Harum venarum utriq; comes est arteria seminalis, utraq; à  
magna arteria trunco sub emulgentibus scaturiens, quæ dum de-  
scendunt, primò aliquantulum distant: postmodum ita implicantur,  
ut vena arteriam, arteria venam ingrediatur, unde præclara illa  
anastomosis conspicitur, quam pluribus alijs in locis passim observare  
licet.

LXXVII.

Est autem amplexus hujus usus, ut materia illa atq; sangui-  
nis apparatus, qui primò ruber erat, sensim alterari, parariq; inci-  
peret, & albescere: Idcirco hac implicatio usq; ad testes per Epidi-  
dymida descendit: At in Fœminis & arteria & vena bipartitò fin-  
duntur: earum major portio fertur ad testem, minor ad uteri fun-  
dum spargitur.

LXXVIII.

Est autem Epididymis corpus oblongum candidumq; utriq;  
testi adherens, in medio dehiscens, ut ibi semen & excoquatur &  
dealbetur.

Vasa



## LXXIX.

Vasa semen excoquentia, testes & διδυμοι dicuntur: & sunt corpora glandulosa semini conficiendo à Natura destinata: Situs illorum in viris nulli non conspicuus. Nam abducti foras penduli prominent. Figura est rotunda sed oblongior: substantia glandulae assimilis; tunicis muniti sunt testes quatuor, duabus communibus & totidem proprijs: ~~quoniam~~ quoniam de numero inter Authores controversatur.

## LXXX.

Communium primam *ὄρχον* quasi bursam vocari scribunt, vulgò scortum aut scrotum, quòd coriacei sacculi similitudinem referat, quæ rugosa admodum & tenuis est cutis: altera tunica communis è panniculo carnosò ortum ducit *δερτὸς* nuncupata, quæ nihil aliud est, quàm peritonæi ipsius substantia candida vasisq; adherens.

## LXXXI.

Propria prima exterior *ἐπιδιδυμὸς* ab alijs, quòd carneis fibris conspersa subrubeat, alijs *ἐλθεγεῖδης* ob vaginæ & involucri similitudinem; Paulo *ἐλιθεῖδης* dicta, quòd ab ea membrana oriatur, in qua venarum & arteriarum sunt helices: interior tunica dura & solida testium substantiam immediatè involvens

## LXXXII.

Questiones & controversia, quæ hîc oboriri solent, sunt partim de præstantia, partim verò de testium usu. De præstantia illud controversum est, quòd sint & vocentur à Galeno principes partes? cuius questionis decisionem uberem admodum quære apud Laurent: lib. 7. q. 1. Valleriolam lib: 3. enarr: 10. Fernel: lib: 7. Phys: c. 4. De usu verò testium confer Laurent: libr. 7. q. 2. Fernel: libr. 7. Phys: cap. 3.

## LXXXIII.

Testes Fæminarum uteri lateribus accubant utring; singuli; Marium oblongiores & depressiores, minores, molliores ac frigidiores, ideò intra corpus eos Natura abscondit; unicam saltem habentes tunicam, perrarò Epididymida ita exiguam, ut ferè oculorum effugiat aciem.



## LXXXIV.

*Vasa semen in testibus elaboratum asservantia. Parastatae nupoveidēs, & advoeidēs varicosi adstites, & glandulosi Praesides dicta, sunt duo glandulosa corpora semen continentia & asservantia, tum & meatus urinarios salivali humore irrigantia, ne urina ladantur acrimonia.*

## LXXXV.

*Membrum Generationis, in Maribus semen in Matricis loculos effundens, varia nomina accepit. Est autem penis seu mentula corpus in Maribus pendulum, praelongum undiquaque fistulosum, in medio continens canalem ejaculando semini & reddenda urinae aptissimum.*

## LXXXVI.

*Figura omnibus nota; situs itidem notissimus: substantia eius est spongiosa, rara, porosa, musculis quatuor, quorum duo erectioni & dilatationi; duo reliqui excretioni & seminis ejaculationi inserviunt, venis & arterijs quam plurimis, membrana nervosa & cute constans. Est autem non ossea substantia, ut in Lupo, Cane & Vulpe: si enim baculi iustar prominere multis negotijs gerendis impedimento esset. Ita verò à Natura prudenti fabricatus est penis ut spiritu impletus erigi, produciq; & insigniter turgere possit, & rursus eodem spiritu dissoluto, arctari, concidere flaccescere & brevior fieri.*

## LXXXVII.

*Ligamenta ad penis constitutionem concurrentia discreta primum sunt; mox coeunt, & ad glandem usq; feruntur, inter quae conspicuus est meatus semini & urinae communis, quem fistulam urinariam vocant. Est autem nihil aliud, quam vesicae substantia ad penis fines elongata: aut collum vesicae productius. Hac autem omnia integuntur cuticula membranea, nullo adipe presente, ne in molem immensam excresceret penis, & ne tensioni ob mollitiem es-*

set



set impedimento, neve in tantam molem excresceret penis, quæ  
rus expavesceret. Columb. lib. II. c. 15.

LXXXVIII.

Penis ad commodum Veneris usum summa sua parte & apice  
glandis modo tumet: Hinc Græcis Βάλλων, & latinis Glans dici-  
tur. Integitur autem membrana tenuissima præputium dicta, quæ  
in coitu ipso nunc sursum, nunc deorsum ferri infinita propemodum  
Mulierum voluptate scribitur à Columbo, d. l. Hæc cutis in He-  
bræorum circumcissione ablata fuit, unde Iudæi appellæ Romanis di-  
cebantur.

LXXXIX.

Circulus verò glandem coronæ modo cingens τεφάνη corona ap-  
pellatur: inferior penis pars in longitudinem vergens ραφή dicitur,  
quasi sutura; quæ verò usq; ad sedem producitur, τὰωρ est. Spa-  
cium inter testium involucrium, quod scrotum nominatum, & ανῦ,  
conspicuum Græcis πεινάλιον, Latinis femem, aut interfœminium di-  
citur.

XC.

Alterum membrum, & tanquam hortus nostræ procreatio-  
nis est Vterus, quod in eo velut utre fœtus contineatur, μήτραν ve-  
teres (ὅτι μήτρας δὲ τῶν, vel ἐν αὐτῇ ἐξ αὐτῆς γενομένων, quia Mater  
est fœtuū, qui ex ipsa nascuntur: ἢ ὅτι τὰς ἐχέουσας αὐτὴν μήτρας ποιεῖ)  
vel ὕστραν, nominarunt, non quod generatione ultima sit, sed διὰ τὸ  
ἐχάτην κείου τῶν ἀλλήλων; φύσις etiam à quibusdam dicitur,  
quia si bene excolatur, aliquid perpetuò fundit ex sese: alij vul-  
vam; Aristoteles verò nunc locos, nunc membrum servile vocat.

XCI.

Est autem Vterus veluti campus & hortus feracissimus ex-  
cipiendo virili & muliebri semini ad sobolis propagationem compa-  
ratus. Situs est uterus in hypogastrio inter vesicam & rectum inte-  
stimum medius. Medium autem occupat, ut corpus esset ἰσορρο-  
πον.



## XCII.

Magnitudo hujus varia est pro aetate, venereo usu, muliebri profluvio, corporis proceritate & foetura. Nam enixa quam gravida minor est, & virginibus, vetulis & sterilibus, quam utero gerentibus.

## XCIII.

Figura hujus pyriforme majusculum refert; & figuram suam non multum discrepat ab utero bovum, caprino & ovium.

## XCIV.

Substantia Uteri membranacea est, ut claudere ad conceptionem, dilatari ad incrementum foetus, cogi ad exclusionem ejusdem, secundarum & rerum contra naturam contentarum posset: tunicis duabus communi seu prima à peritoneo orta crassissima; interiore verò hanc crassitie sua superante praedita. Villorum genere triplici intertexta est haec tunica, rectis maximè conspicuis semen è cervice sua attrahentibus; obliquis, foetum retinentibus; & transversis ac circularibus ad foetus & sordium exclusionem: venis duabus, arteriis totidem conflata.

## XCV.

Distinguitur autem Uterus in fundum, orificium Matricis, cervicem uteri, & pudendum. Fundus, aliàs κόλπον seu sinum vocant, est pars illa amplior, latior & superior, quae vesicae fundo incubat, in quo rectè unica saltem cavitas contra Mundinum, aliquot cellulas fingentem, statuitur, quae in dextram & sinistram dividitur partem. Fundus hic excipit & concipit semen virile, in quo etiam alitur, vivit & augetur foetus: ad cujus latera emittant processus ad ilia aliquantulum inclinantes brutorum mammis similes, quos cornua appellant, in quos semen muliebri excernitur.

Secunda



XCVI.

Secunda Uteri pars Orificium, est meatus satis angustus, in quem uteri cavitates tandem dehiscit: quem si exteriori parte aspicias tincta piscis speciem præ se fert: quo orificio Maris semen proleat Uterus, eo concepto ita clauditur, ut ne aciem quidem acus admittat.

XCVII.

Tertia Uteri pars collum appellatur, & est canalis oblongus admodum, vagina instar, & penis virilis receptaculum: cuius substantia in Puellis delicatior; in adultis callosior, in Senibus fere cartilaginea: dum connivet, Cervix rugosa cernitur: dum verò distenditur, exquisitè levis & lubrica apparet.

XCVIII.

In medio ferè cervicis hujus tradunt pleriq; in Virginibus inveniri membranam, quæ primo coitu disrumpi solet, & Hymen dicitur, quam pleriq; tamen Anatomicorum se observasse unquam negant: Columbus verò ter se reperisse affirmat lib. II. c. 16.

XCIX.


Ultima Uteri pars est Pudendum, quod Latini vulvam, sinumq; pudoris appellant: in quo occurrunt colles seu monticuli pilis decorati, tum rima seu scissura, in qua alæ utring; apparent, Nympha dictæ, quas Aegyptiis virginibus excindere solebant, ne vel nimium prominere, vel attrita ad libidinem crebrius incitarent. Inter quas conspicuæ sunt carunculae membranis præditæ, quibus in coitu attritis flos virginum perisse dicitur. Tandem in vulvæ apice particula quaedam apparet, quam recentiores, antiquis tamen non incognitam, animadvertisse primos se profitentur, quæ & titillationis & suavitatis potissima causa in Mulierib. statuitur; unde & amor & dulcedo Veneris, à figura verò aliis mentula dicta est.

Hæc



C.

Hac pro instituti nostri ratione de utriusq; hujus facultatis nutritiva & generativa organis breviter proponenda erant: controversiarum momenta in ipso disputationis cursu ponderare erit convenientissimum.



F I N I S.





05 A 2704

ULB Halle  
003 783 413


3




VON











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PHYSIOLOGICARVM  
DISSERTATIONVM

SECUNDA

De  
Membris Nutritioni & Genera-  
tioni inservientibus

Quam

Divino auspicio

Sub praesidio

M. AMBROSII RHODII  
Kembergenensis

Collegis suis


Examinandam proponit

MICHAEL GICHTL

Ratisponensis

Ad diem 15. Februar.

Hora & loco consuetis.



WITEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi

M. D. C. VI.